



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 81. Utra obligatio sit major, voti an juramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

vocatus in testem falsitatis formalis, sed materialis tantum. Opponit *Dicast.* de Juram. d. 2. n. 162, Deum invocari velut testem & fidejussorem veritatis futuræ, hinc autem fieri testem & fidejussorem falsitatis consequentis, quod videtur semper grave. R. Tantum vocari in testem voluntatis præsentis adimplendi promissum, & in fidejussorem obligationis, quæ semper est, sed ratione materiæ potest esse gravis vel levis. Vide dicta num. 262.

Q. 81. *Utra obligatio sit major, voti an juramenti.* 306

R. Multi Canonistæ apud *Suar.* hinc L. 2. c. 3. num. 1. censent obligationem utriusque esse parem, sed 1. Probabilius est majorem esse obligationem voti quàm Juramenti promisorii, quod homini fit, ita *S. Th.* 2. 2. q. 89. art. 8, quem plerique sequuntur cum *Suar.* num. 7, partim contra istos Canonistas, partim contra *Med.* & alios. Ratio est, quia per votum fides directè datur Deo, non autem per Juramentum promissorium homini factum, obligatio enim directè non fit Deo, sed DEUS tantum adducitur ut testis promissionis de aliquo futuro, ergo votum magis directè respicit Deum, ergo violatio voti erit magis contra DEUM, adeoque major illius injuria. Dixi, quod homini fit, propter dicenda n. 328. 355. 555. 2. Juramentum asseritorium videtur magis obligare quàm votum, ita *Suar.* n. 5; ratio est, quia obligatio Juramenti asseritorii est ex præcepto negativo obligante ad non attribuendum Deo falsum, quod si fieret, foret gravissima Deo injuria; obligatio autem voti est ex præcepto affirmativo me obligante ad reddendum hoc, quod Deo promisi, quod si non faciam, censebor esse irreverens Deo, sed non inferam tantam injuriam, quantam inferrem, si facerem esse testem falsi; & idem tenent

Lesse

Lesf. suprà num. 53. Sanch. hic L. 3. c. 9. num. 4. Dicast. de Juram. d. 3. n. 20.

- 307 Q 82. *Quomodo Juramenta sint interpretanda.*
 R. Ferme eodem modo, quo vota, de quibus vide dicenda à n. 381 : unde 1. Qui dubitat, an juraverit, non obligatur, quia libertas est in possessione contra Juramentum, ita plurimis citatis *Dicast. num. 393* : idem est, si certus sis te asseruisse aliquid facturum per verba ambigua & dubia, sintne juratoria nec ne ; si etiam dubites de intentione tua, uti cum *Caj. Covar. & aliis tenent Suar. L. 2. c. 33. n. 3. Lugo de Just. d. 23. n. 110*, quia libertas adhuc manet in possessione, sicque etiam in mitiorem partem resolvit ejusmodi dubium Pontifex *Cap. Clericus. 35. de Jurejurando.* 2. Qui certus est se verba juratoria dixisse, sed negativè dubitat de intentione se obligandi ; aut etiam dubitat, an sciverit vel cogitaverit de obligatione inde consurgente, videtur obligari, si scivit, quid sit jurare, quia possessio est pro Juramento, quod talem obligationem trahit, ita *Suar. n. 4. Sanch. aliique cum Lugo suprà,*
- 309 *Dian. P. 9. T. 8. R. 17.* 3. Qui scit se jurasse, & dubitat, an impleverit, adhuc obligatur, uti rectè cum communi *Suar. n. 7*, quia Juramentum est in possessione, & obligationi certæ non fit satis per solutionem dubiam. 4. Quando dubium est, an materia Juramenti sit licita nec ne, interpretatio ita est facienda, ut si in aliquo sensu possit Juramentum esse de re licita, in illo factum esse credatur, etiam si de intentione jurantis non certò constet, hoc enim postulat reverentia debita Juramento, ne sit vanum aut dicatur factum de re illicita, quod præsumi non debet ; si autem Juramentum nullo sensu possit esse de materia licita, non obligat, uti rectè *Suar. num. 8*, quia non debet impleri